



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*CHRISTUS IESUS***VENERABILI FAMULAE DEI ANGELAE GUERRERO GONZALEZ,**

IN HISPANIA CONGREGATIONIS SORORUM A CRUCE FUNDATRICI,

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. – Christus Iesus, qui in hunc mundum venit ad evangelizandum pauperibus, quique beatos esse declaravit «pauperes spiritu» eosque omnes «qui lugent» et «qui esuriunt et sitiunt iustitiam» (cf. *Mt* 5, 3-7), necnon, misericordia motus, infirmos paralyticos claudos caecos ubique ad sanitatem reducere consueverat, ipse voluit ut sua erga egentiores misericordia per suos quoque apostolos servosque fideles ostenderetur, inter quos humilem famulam Dei Angelam Guerrero seligere dignatus est tamquam praeclaram eiusmodi caritatis testem. Angela Guerrero, die XXX mensis Ianuarii anno MDCCCLXVI Hispali in Hispania ex humilibus piisque parentibus nata, tribus post diebus, die videlicet altero mensis Februarii, nomen in baptisate accepit Mariam ab Angelis. Quae, cum pietatem erga Deum prima infantia a matre didicisset, eius exemplo adolescens amore paupertatis est aucta, in qua totam inde vitam degit. In ipsis enim laboribus, quibus eo tempore uti operaria suae egestati Angela resistere conabatur, eius animus maxima semper ac mirabili levabatur pietate, cui ipsa, ut constat, incredibiles etiam sui ipsius castigationes coniungere solita erat. Praecipua autem eius apostolatus exercitatio in adiuvandis pauperibus, praeter ceteris quidem dilectis, profecto ponebatur. Quaerens Deum, a quo se vocari sentiebat, cum in animo habuisset Institutum Carmelitarum Sororum Descalceatarum ingredi, ut soror esset laica, id fieri ob debilem eius valetudinem non potuit. Neque alia de causa, cum deinde novicia facta esset apud Filias Sancti Vincentii a Paulo, illud uno post anno omisit inceptum. At nihil ad celeritatem sibi reliqui fecit. Nam labores pro pauperibus ac derelictis suscipere haud cessabat neque umquam sibi in heroum caritate pepercit; quin etiam anno MDCCCLXXI se «secundum consilia evangelica» aetatem esse acturam pollicita est, pauloque post, putans se aliquo modo in crucem figi oportere, sibi nomen imposuit Angelam a Cruce. Merito ipsa didicerat nihil efficacius pro pauperibus fieri posse, quam «pauperem fieri cum pauperibus». Inde sibi in animum induxit Institutum condere pauperibus excipiendis Deoque conciliandis. Attamen a principio id in uno constitit conclavi, ubi Societas Sororum a Cruce proprie est orta, per quam, duce reverendo Patre Torres Fadilla, varia Angelae eiusque filiarum incommoda pro egenis suis sine mora fructus afferre coeperunt: plures excitabantur vocationes, auxilia posci incipiebant, stipes augebantur. Anno MDCCCLXXVI a Venerabili S.R.E. Cardinali Hispalensi memoratae Societatis primae Constitutiones approbatae sunt, dum eiusdem foundationis domus hic illic interea multiplicabantur; anno vero MCMIV Pius X, sanctus Decessor Noster, die XXV mensis Iunii Institutum ipsum Filiarum Societatis Crucis semel penitusque approbavit, quod praeterea anno MCMVII fundatrix Angela regere in seque recipere coepit. Quae inde, primigenio amplificato consilio, effecit ut post mortem parentum, quibus talis societatis Filiae assedissent, orbatuae puellae apud ipsius Instituti sedes commorarent. Angela eiusque Filiae, quae continenter aegris assidebant, quorumque curam maxima cum diligentia agebant, non modo gratiam populi sibi conciliare valuerunt sed bonam etiam spem praestantioresque humanae vitae virtutes assequabantur ut in multorum animis excitarentur. Una ex

illius hortationibus sic sonabat: «Ne unum quidem querulum verbum egrediatur ex ore vestro». Anno MCMXXVIII consilio ipsius Angelae eiusque opera viginti fere eiusdem Instituti patebant sedes. Accidit deinde ut ea, cum in Capitulo generali cunctis sodalium suffragiis maxima Communitatis Antistita quartum designata sit, submissee libenterque locum alteri dederit maximae Antistitae, quae tunc ad nutum Sanctae Sedis, re ad Venerabilem S.R.E. Cardinalem Hispalensem delata, inter ceteras Instituti Filias electa est. Obsequenter ei obtemperabat consilioque Filias olim suas adhuc regebat. At, obstructa eius cerebri arteries atque paralysi correpto latere eius dextero, per novem mensium spatium Angela fere affixa suae cruci permanere visa est, quamdiu videlicet die altero mensis Martii anno MCMXXXII animam edidit ad Deumque migravit. Omnes tunc Hispalenses, mortem eius lugentes, simul eius gesta evangelica magnis laudibus celebrare coeperunt, imprimisque vitam castigatissimam omnemque operam, quam iuvandis et consolandis dederat afflictis in summa solitudine versantibus. Cum celeriter Angelae sanctitatis fama post mortem crevisset, Curia archiepiscopalis Hispalensis die primo mensis Decembris anno MCMXXXVIII processum instauravit informativum, quem dicunt, de eiusmodi sanctitatis fama recognitione, cuius finis die duodecima mensis Iulii est factus anno MCMXLVI. Processu Romam translato perspectoque a Praelatis et Consultoribus Sacrae Congregationis Sacris Ritibus praepositae, die X mensis Februarii anno MCMLX editum est Decretum Introductionis Causae, eodem autem anno initium habuit Processus Apostolicus, qui die altero et vicesimo mensis Februarii ad finem adductus est anno MCMLXIV. Posthac, quinquaginta annis ab eius morte nondum transactis, cum a disceptatione heroicarum virtutum impetrata esset venia earundemque proinde nonnisi recognitio initium habuisset, hac peracta, eas Paulus VI, Decessor Noster desideratissimus, plane approbavit per Decretum die duodecimo mensis Februarii editum anno MCMLXXXVI. Inspecta porro portentosa sanatione ab acuta peripneumonia supervenefica, qua adolescens Maria Concepta Garcia in dextero pulmone afficiebatur eiusque cor et ren alter implicabantur, habitum est pro certo eiusmodi sanationem a Deo, ven. Angela Guerrero intercedente, patratam esse. Cumque per Decretum die duodecimo mensis Iulii anno MCMLXXXII editum Nos rem confirmavissemus, etiam statuimus ut eo ipso anno, Nobis in Hispaniam peregrinantibus pastoralis visitationis causa, die quinto mensis Novembris Hispali in urbe, ubi dilaudata famula Dei nata est et extremum effudit spiritum, et sollemnis eius beatificatio ageretur. Illic igitur, statuto die, sub diu soleque splendente hanc formulam, inter Sacra, elocuti sumus: «Nos precibus obsecundantes tum venerabilis Fratris Caroli Amigo Vallejo, Archiepiscopi Hispalensis, tum Venerabilis Fratris Nostri S.R.E. Iosephi Mariae Card. Bueno y Monreal, tum etiam multorum aliorum Venerabilium in episcopatu Fratrum, necnon frequentiorum Christifidelium, audito consilio Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum, summa auctoritate Nostra Apostolica statuimus ac facultatem facimus ut venerabilis Serva Dei Angela a Cruce Guerrero Gonzalez, Fundatrix Congregationis Sororum Societatis Crucis, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum in locis et modis iure statutis die altero mensis Martii, quo ipso ad Deum abiit, quotannis celebretur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti». *Datum Hispali in Hispania, sub anulo Piscatoris, die V mensis Novembris, anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana